intelligantur. *Violatur* itaq;, qvando intelliguntur καθ' ἄλλο καὶ ἄλλο. ut: *Æthiops eſt albus, E. non eſt niger.* Non ſeqvitur: Nam & albus & niger eſt καθ' ἄλλο καὶ ἄλλο. ſecundum diverſas corporis partes. Sic: *Chriſtus eſt ἀπάτωρ, & Chriſtus eſt ἀμήτωρ,* non pugnant. Utrumq; enim verum eſt καθ' ἄλλο καὶ ἄλλο, ſcilicet *ſecundum diverſas naturas.*

3. Πρὸς τὸ αὐτὸ, *ad idem.* Qvæ conditio vult, ut comparatio rerum inſtituatur & referatur ad idem. *Violatur* ergò, qvum collatio inſtituitur πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο *ſeu ad diverſa.* Ut: *Abraham eſt Pater, Abraham non eſt Pater.* Non pugnant: Utraq; enim propoſitio vera eſt, ſed πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο in reſpectu ad diverſa. Pater enim eſt, qvum refertur ad Iſaacum ut filium: non eſt Pater, collatus ad Tharai parentem.

4. ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, ἢ τόπῳ, *reſpectu ejusdem temporis & loci.* Idcircò *violatur,* qvum in contradictione aliqvid affirmatur vel negatur, reſpectu diverſi temporis aut loci. ut: *Chriſtus eſt pauper & contemptus: & Chriſtus eſt exaltatus ſupra omnes*